

JODETUM KALICUM.

Rec. *Solutionis Hydratis kalici* quantum placet.

Leniter calefactæ sensim additur

Jodum,

agitando cum bacillo vitreo, donec liquor colorem fuscum acceperit; quo facto ad siccum evaporat. Massa residua in crucibulo porcellaneo vel platinico tecto supra ignem, sensim augendum, liquatur et liquata habetur, quamdiu serveat; deinde effunditur, ut refrigescat. Post refrigerium deminuta in vase clauso statim servatur.

JULAPIUM E MOSCHO.

Mixtura Moschi.

Rec. *Moschi tunquinensis* grana quattuor, p. 1.

Sacchari albi,

Gummi arabici, singulorum pulveratorum
grana duodecim, p. 3.

Aquæ Rosæ uncias duas p. 240.

Teritur Moschus primum cum Saccharo, deinde cum Gummi, instillando paullatim Aquam Rosæ.

KERMES MINERALIS.

Hydrosulphuretum stibiosum.

Rec. *Sulphureti stibici præparati* unciam, . p. 1.

Sodæ depuratæ crystallisatæ libras duas, p. 24.

Aquæ destillatæ libras viginti p. 240.

In Aqua solvitur Soda depurata; solutioni in olla ferrea, munda, ebullienti, additur Sulphuretum, quo facto liquor, agitando cum spatula lignea, per horam dimidiam ulterius ebullit et, etiam nunc fervidus, in vas jam calefactum colatur. Refrigeratus a præcipitato sponte nato,

*Sart Antimon præparat Naasfer
natrium.*

chartæ bibulæ ope, separatur, et Sulphureto residuo rursus affunditur, denuo per horæ dimidium decoquitur et percolatur. Præcipitata, his laboribus comparata, Aquâ destillatâ frigidâ sedulo abluuntur et ad gradum caloris $+25^{\circ}$ C. haud superantem cautissime siccantur. In vase vitreo sicco, bene obturando, mixta servantur.

Oxygalactos vaccini fermentat.
LACTAS FERROSUS.

Rec. *Sacchari Lactis* pulverati unciam, . . p. 1.

Ferri Limaturæ, oxido haud inquinatæ,
 unciam, p. 1.

Oxygalactos vaccini libras duas . . p. 24.

Digeruntur in lagena sæpius agitanda, cujus apertura clauditur subere, tubum vitreum in acumen eductum includente, ad temperaturam $+30^{\circ}$ — 40° C., per dies aliquot vel donec Saccharum Lactis evanuerit; cujus quum nova deinceps uncia addita est, totum ulterius digeritur, usque dum Lactas ferrosus, pulveris instar albidus, deponi incipiat. Tum liquor una cum depositis ad ebullitionem calefit et bulliens in lagenam, deinde claudendam, percolatur.

Quum Lactas ferrosus, e liquore refrigerato depositus, post dies quosdam non amplius crescit, liquor supernatans defunditur et crustæ crystallinæ, Aquâ frigidâ aliquoties elotæ, calore blandissimo inter chartæ plagulas citissime siccantur.

Servatur in vase, optime claudendo.

PAPILLI CANCRORUM PRÆPARATI.

Præparantur *Lapilli Cancrorum*, ut Bolus præparata.